

† R. P. Ludovicus Feighery (1886–1937)

(*Prov. Australasiae*)

Inter confratres virtute et doctrina praestantes, quibus Provincia Australasiae nobilitatur, conspicuum habet locum R. P. Ludovicus Feighery, qui in Domino obdormivit die 28 Iunii 1937. Et sane quidem ille familiam nostram illustravit; nam, ut erat peritus, mansuetus, humilis, enitebat scientia non minus quam boni operis exemplo, in omnibus nihil aliud quaerens nisi gloriam Dei, cuius amore flagrabat.

Natus est in Hibernia die 27 Novembris 1886. Parentes eius insignes erant pietate et vita vere christiana. Ludovici pater, occupatus in magisterio civitatis, praefectus erat per multos annos Archisodalitatis S. Familiae Limerici institutae: quo in munere et in viros et in pueros studio feliciungebatur. Deus e sinu huius familiae plene catholicae puellas ad religiosum statum vocavit et e pueris praeter Ludovicum etiam Franciscum natu maiorem, qui, tum studens professus Congregationis, obiit meritis potius quam annis plenus, bonus odor multarum virtutum.

Inde a pueritia Ludovicus, auspice Divo Alfonso, servire Domino ardebat. Acri praeditus ingenio grammaticam brevi didicit in scholis Societatis Iesu, ubi honores publicos haud usitatos acquisivit. Nostro iuvenatu initiatus laudes Lectorum et condiscipulorum amorem sibi merito excitavit. Latinas simul Graecasque litteras callebat, adeo, ut praemiis summis potiretur et inter doctores linguae Graecae numeraretur.

Tirocinio peracto professus est Dundalcii die 8 Decembris 1909. Exinde, semper summo cum honore, in domo studiorum Esker omni ramo scientiae sacrae vacavit. Presbyteratu festo Nativitatis B. M. V. 1914 auctus est. Expletis studiis ad pristinum amorem cordis, iuvenatum Limericiensem, rediit, ibi alacri studio tum ad Lectoris officium implendum, tum ad vitae internae perfectionem assequendam incumbens.

In Australiam a. 1920 accivit eum Pl. R. P. Thomas Walsh, sub cuius tutela olim honores academicos obtinuerat. In iuvenatu Galong eundem modum agendi secutus est, eosdem successus et praemia assecutus. Praesertim linguam Graecam amabat, considerans in quolibet vocabulo et verbo

copiam significationis, ideoque mirum non est, quod Novum Testamentum Graece scriptum etiam per supremas horas vitae in manibus morituri inveniebatur.

Licet autem R. P. Feighery studiis suis valde delectaretur, tamen vitam apostolicam semper avebat. Qua de re sex abhinc annis Superiores piis eius suspiriis assenserunt. Addictus primum communitati in Ballarat, postea vero in Wellington, N. Z., labores missionum persaepe sustulit. Nihilo secius memoria zeli illius in minoribus laboribus apostolicis effulgerebat magis quam in opere robustiore missionum. Utpote cum infirmae esset valetudinis, vires corporis non valebant desideriis animae servire. Itaque, ut scripsit quidam laudator in ephemeride publica, « coetibus variis religiosorum et monialium P. Feighery erat dux et magister vitae spiritualis praecellens. Quapropter ob fervorem animi in scopo vocationis obtinendo, quo ipse, verbo et exemplo, illos afficiebat, iidem grati auditores ipsum benedicunt et laudant verum sacerdotem, fidelem supremis principiis religionis, toto corde et animo amantem Dominum ac simul proximum propter Dominum, confratrem lenem, benignum, ad adjuvandum semper paratum; nam tali viro, qualis is erat, paulum referebat quid laboraret ».

Placuit Deo animum laborandi perpendere potius quam annos et labores protractos, ideoque longum spatium ad fruges generosas in vinea Domini colendas denegavit. Dilectus confrater per duos annos praeteritos aegrotus in compluribus locis languescebat: donec accidit ut sanitatem omnino perderet in urbe Auckland, quo loci spe curandi fidenter evectus erat. Posthinc in dies decidit usque ad d. 28 Iunii h. a.: tum sacramentis ultimis munitus et sui mire compos animam Deo suaviter efflavit.

Proximo die corpus defuncti confratris translatum est in ecclesiam nostram S. Gerardi, Wellington; ubi postridie sollemni illo apparatu qui ad Congregatos spectat exsequiae celebratae sunt. Missae sollemniter cantatae aderant Archiepiscopus Wellingtonensis, Exm̄us et Revm̄us Thomas O'Shea, S. M.; Pl. R. P. Provincialis Societatis Mariae una cum dignioribus cleri archidioecesis, necnon confratres et permulti fideles, quibus contio sacra in mentem revocavit verba Danielis prophetae: *Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates.*

Animae huius nostri omnibus cari sint per Dei misericordiam lux aeterna et sempiterna requies.